

*statis*, sub quo animae Iustorum requiescant, interpretentur, (e) atque, inde, *Glossa Iudaica* ad h. l. ita informetur: Daß dem נשמה wird kommen unter dem כסא הכבוד: omnino, tamen, vereor, ne haec, in meram coniecturam abiens, meditatio vel GALATINO, ulla in parte, patrocinetur, vel etiam ad scopum, quem *Abigail* sibi praefixum habebat, propius collimet. Ad reliquas, easdemque principaliores, *Commentatorum*, aequae ac *Criticorum*, quae, ad verba enucleanda, expromi solent, glossas quantum attinet, ad tres, potissimum, classes, commode, easdem reduci posse existimo. Prior istarum plerosque, qui ad vitam hanc caducam, et mortis discrimini obnoxiam, ABIGAEELIS verba restringunt, suppeditabit; Altera, ambitu suo, istos complectetur, qui, supplicentem ad futuram vitam unice, hic, collimasse, coniectant; et Ultima, demum, quosdam, ad utramque vitam sermonem extendentes, allegabit. Quoniam, autem, *Fasciculus Vitae*, hic, de *Vita aeterna* exponi nequit, atque, adeo, non media tantum, sed ultima quoque coniectura (siquidem posterior huius pars mediae, solummodo, innititur) per se corruit; priori, quae pro temporali vita pronunciat, quoniam meum quoque calculum, ob praegnantiores quasdam rationes, infra, suo loco, in medium afferendas, adiiciam, nullus ambigo.

V. Eorum ex numero, qui de DAVIDIS, in vita praesentis, conservatione dictum interpretantur, in primis excitamus R. D. KIMCHI, cuius glossa sequens est: שלא יוכלו להמיתך מי שרורפין אותך והיתה בחיים את השם וימית האל יתעלה Calculum Iudaico Doctore addunt MÜNSTERVS, et, qui iisdem utitur verbis, ISIDORVS CLARIVS, votum ABIGAEELIS ita παραφραζοντες: *Protegat te Dominus, sub alis suis, ab inimicis tuis, sicut illi tutissime vivunt, qui apud Dominum, vel sub Domini protectione,*

(e) Inde R. Elieser scribit: נפשות של צדיקים גנוזות תחת כסא הכבוד ונשמתן של רשעים רומזת והולכות תמיד הללו במנוחה והללו אין להם מנוחה שנ' והיתה נפש אדני צרורה בצרור החיים וגו' qui et hinc morem deducit, quod Iudaei Defunctorum tumbis inscribant: מנוחתה בצרור החיים עם שאר צדקנות א"א סלה five: נשמתה תהא צרורה בגן עדן א"א סלה Vid. Io. Forsteri Diction. Ebr. Münsteri Comment. ad h. l. Valent. Schindleri Lexic. Pentagl. R. צר